

25

tandum verò hic est, mandantem, præcipientem, svadentem, con-
sulentem & consentientem, non statim rei alicujus esse reum. Sed
tunc demum in jus vocari potest, cum mandatum, præceptum,
persvasio, consilium & consensus in effectum sunt diducta, hunc si
non consequitur, nemo quoque potest obligari & immerito Cau-
sa Moralis hujus vel illius rei commissæ salutatur. Porro Causa
Moralis respectu mandati persvasionis consensus & consilii eo
extendi non debet, si autor scelus quoddam proprio motu & ausu
facturus erat, si vel maximè non consulens aut persvadens adve-
nisset, sed requiritur, si persvadens consentiens, consulens, & præ-
cipiens ad Causæ Moralis classem referri debent, ut consilium ac
persvasio &c. propinetur tali, qui nunquam deliberatione secum
volutavit ejusmodi expedire scelus nefandum, nec unquam ani-
mo destinavit expeditionis opus, si enim hoc fit, culpa merito eï
imputatur, atque consequitur præmium actione sua condignum,
contra si fit mandatum consilium &c. moralem nõ exercent Cau-
salitatem in ordine ad effectum, quum ex ipsis non sequitur cau-
sis, sed ad effectum saltim se habent concomitanter. 2. Species
est, **Palpus seu Conniventia**, cum quis blandimentis adu-
lationibus & nimia benignitate, aliorum actiones turpissimas
quasi approbat. Sic Sacerdos Eli, quod filiis suis nimium in-
dulgebat, & eorum vitæ pessimæ non resistebat, miserrimæ gna-
torum mortis haud inique Causa Moralis potest appellari. 3. Spe-
cies est, **Rekursus**, quum quis vel ante factum auctori præbet
hospitium, ut quod animo destinavit, tutius perficiat, vel post
factum, ne ad luendam trahatur pœnam, autorem abscondit v.g.
si quis furi furtivisque rebus aperit diversorium, ut illæsus pœ-
nam ordinariam subterfugere possit. Huc spectant omnes, qui
celant facinorosos iisdemque latibula & asyla præparant. 4. Spe-
cies est, **Participatio facti**, ut inde aliquid habeat commo-
di, veluti si quis de rebus ex furto ablati aliquid participat, ad-
eoque sub spe hujus participationis rapinam, spoliū ac furtum
approbat & ratificat, furti Causa Moralis est, tametsi actione Phy-
sica & reali non cooperetur, in genere morum tamen perinde ha-
betur, ac si ipsemet effecisset, propterea etiam pœna coërcetur
debita